UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Avrea Gemma Christianorvm

Ruben, Leonhard

Paderbornae, 1604

LXVI. Christus Dominus moritur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-68313

Visual Library

perum, petiuit animæ ſuæ vt moreretur. & ait: Sufficit mihi Domine, tolle animam meam: neque enim melior ſum, quàm patres mei.

PROPHETIAE. Pſalm 30. 6. *In manus tuas commendo ſpiritum meum: redemiſti me Domine Deus veritatis.* Pſalm. 141. 8. *Educ de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me exſpectant iuſti, donec retribuas mihi.* Tob. 4. 6. *Omnibus autem diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum: & caue ne aliquando peccato conſentias, & prætermittas præcepta Domini Dei noſtri.* Iſa. 53. 10. *Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate: Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuũ, & voluntas Domini in manu eius dirigetur.* Ionæ. 2. 8. *Cùm anguſtiaretur in me anima mea, Domini recordatus ſum: vt veniat ad te oratio mea ad templũ ſanctum tuum.* Ionæ. 4. 3. *Et nunc Domine, tolle quæſo animam meam a me, quia melior eſt mihi mors quàm vita.*

VERITAS. Luc. 23. 46. *Et clamans voce magna Ieſus ait: Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum: & hæc dicens, expirauit.*

CAPVT LXVI.

Chriſtus Dominus moritur.

FIGVRAE. 1. Abel iuſtus occiſus inuidia fratris ſui Cain. Geneſ. 4. 8. *Dixitque Cain ad Abel fratrẽ ſuum: Egrediamur foras. Cumque eſſent in agro, conſurrexit Cain aduerſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum.*

2. Immolatur agnus paſchæ ad veſperum, Exod. 12. 6. *Et ſeruabitis eum vſq; ad quartam decimam diem menſis huius, immolabitq; eum vniuerſa multitudo filiorum Iſraël vſq; ad veſperam.*

3. Alter agnorum immolatur veſperi iugiter. Exod. 29. 38. *Hoc eſt quod facies in altari: Agnos anniculos duos per ſingulos dies iugiter.* Num. 28. 3. 4. *Hæc ſunt ſacrificia quæ offerre debetis: Agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocauſtum ſempiternum: Vnum offeretis mane & alterum ad veſperum.*

PROPHETIAE. Pſalm. 30. 11. *Quoniam defecit in dolore vita mea: & anni mei in gemitibus. Infirmata eſt in paupertate virtus mea: & oſſa mea conturbata ſunt.* Eccleſ. 29. 20. *Gratiam fideiuſſoris ne obliuiſcaris: dedit enim pro te animam ſuam.* Iſai. 25. 7. 8. 9. 10. vt ſuprà cap. 63. *Ibid.* cap. 53. 8. 9. 10. 11. 12. *De anguſtia, & de iudicio ſublatus eſt: generationem eius quis enarrabit? quia abſciſſus eſt de terra viuentium: propter ſcelus populi mei percuſſi eum,* &c. vt fol. 73. Thren. 5. 15. *Defecit gaudium cordis noſtri: verſus eſt in luctum chorus noſter. Cecidit corona capitis noſtri; væ nobis, quia peccauimus.* Dan. 9. 26. *Et poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus: & non erit eius populus, qui eum negaturus eſt. Et ciuitatem, & ſanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo; & finis eius vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio.*

VERITAS. Matth. 27. 50. *Ieſus autem iterum*

rum clamans voce magna, emiſit ſpiritum. Luc. 23. 46. *Et clamans voce magna Ieſus, ait: Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum, & hæc dicens exſpirauit.* Ioan. 19. 30. *Cùm ergo accepiſſet Ieſus acetum, dixit: Conſummatum eſt. Et inclinato capite tradidit ſpiritum.* Hebr. 5. 7. 8. 9. 10. *Qui in diebus carnis ſuæ preces, ſupplicationesq; ad eum, qui poſſit ſaluum facere à morte cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia: & quidem cùm eſſet Filius Dei, didicit ex ijs, quæ paſſus eſt, obedientiam: & conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ, appellatus à Deo Pontifex iuxta ordinem Melchiſedech.*

CAPVT LXVII.

De his quæ ante & poſt mortem Chriſti acciderunt, vt de tenebris, terræmotu, reſurrectione mortuorum, & luctu multorum.

FIGVRAE. I. Fratres Ioſeph illum adorant. Geneſ. 42. 6. *Et Ioſeph erat princeps in terra Ægypti, atq; ad eius nutum frumenta populis vendebantur. Cumq; adoraſſent eum fratres ſui.* Verſ. 21. 22. *Locuti ſunt ad inuicem. Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrum, videntes anguſtiam animæ illius dum deprecaretur nos, & non audiuimus: Idcirco venit ſuper nos iſta tribulatio. E quibus vnus Ruben, ait: Nunquid non dixi vobis: nolite peccare in puerum: & non audiſtis me? en ſanguis eius exquiritur.* In terram ante illum